...sim.

Bieżanowski Stanisl. Jos. Decus eruditum Cl. D. M. Matthiae Casim. Treteri.

DECVS
ERVDITVM,
Clarißimi, Spectabilis, & Excellentißimi Domini,
D. M. MATTHIÆ CASIMIRI TRETERI,
Philosophiæ Doctoris, Consulis Casimiriensis,
DVM
In alma Vniuersitate Cracouiensi,
PER
Clarissimum, & Admodum Reuerendum Dominum,
D. M. ADALBERTVM ŁANCVCKI J. V. DOCTOREM,
& Professorem eiusdemq; Inclytæ facultatis Decanū, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cancellarium, & ad Sancti Michaelis in Arce Cracouiensi Canonicū,
Præpositum Luboricensem &c. &c.
Nobilissimâ I. V. Doctoratûs Laureâ,
Post præmissam, De Sententia Arbitrorum
feliciterq; disputatam quæstionem,
ritu solenni insigniretur,
Honoris & gratulationis ergo,
A
M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Leop. P. D.
Apollineâ Panegyri
CELEBRATVM.
Anno Restauratæ Salutis 1659 Die 16. Mensis Decembris,
Apud Viduam LVCÆ Kupisz, S. R. M. Typ.

DECVS ERVDITVM.

ET merito; quis enim niueo ventura, negasset
Sæcula cum Cygno niueis signanda Lapillis!
Fætaq; Liligeris, lateq; fragrantia nimbis;
Iturosq; dies CRACIO super Orbe togatos
Alite sub tanto, surrecturasq; Virorum
Ingentes animas, carissima pectora Phæbo,
Phæbeam volucrem dum stemmate gestat auito,
TRZEBICIVS Præsul, Musarum summa voluptas.
Vatibus en quantum numen, quantumq; futuri
Temporis augurium est, concessaq; quanta facultas,
Seû dextris illi faueant, seû forte sinistris
Ominibus, rerum varios euoluere cursus.
Nempe Tiarato Stoæ sub Præside Cygno,
Palladios instare dies, sæclûmq; togatum
Res docet, & toties Themidis per pulpita, perq;
Theologos apices, vernantia tempora cingens
Doctorale decus, virtutis symbolon altæ;
Quale coronatas circum fulsisse Virorum
Publica lux frontes, non leuo sydere, vidit:
Vberiore magis, post tot tristissima Regni
Funera, post longe producta silentia noctis,
Lucis, & Aoniæ prouentu frondis, in ipso
Musarum, Regniq; sinu; cui credita soli
Iura coronarum, Lechici donaria Phæbi.
Hûc rostris matura suis, dotemq; beatam
Virtutis, geminæq; trahens insignia laurus,
Te quoq;, verticibus respondens gloria summis,
Parq; animus tanto duxit meritoq;, locoq;,
Aonidum TRETERE decus, cultissima Pindi
Portio, Magnatum volupe, illibataq; Consi
Gloria, cui famulas sors aurea subdidit alas,
Ciuilesq; sibi quem formauere curules.
Nempe Lyram tenero post quam Te Pollice, fontes
Thespiacos inter, Clario sub Principe doctum
Ad numeros reuocare, cohors Parnassia vidit;
(Vt sua non fallunt Cyrrhæ Vatesq;, Deasq;,
Omina) Cracigenas ex Te, dixêre togatum
Expectare iubar, poteras qui condere Musis
Zodiaco meliore Polum; duodena Virorum
Sydera, festiui succendens lampade plectri,
Lucidus ipse sui fons, & sol factus Olimpi.
Cingulus hic alios Cytharæ, suadæq; labores

Traxit,

Traxit, & in nodum collectas protulit Orbi
Interioris opes animi. Successit amænis
Serius Archimedes Studijs, momentaq; librans
Cælorum Vraniæ, supremo cardine Lapsa,
Inq; tuo conclusa sinu; quam Lechica circum
Sydera voluentem, dispensantemq; futuras
Cornigeræ, solisq; vices, spectauerat omnis
Arctoas inter, qui claret Sarmata, Gentes.
Sed cælo reduces curas Astræa poposcit,
Eripuitq; sibi, CASIMIRI mænibus altis
Dum legum tabulas, consultaq; publiea fecit
Arbitrio subiecta Tuo; quod iuris & æqui
Amsanctas dotes, consummatamq; requirit
Iudicij lancem, deuotaq; pectora Conso.
Hinc Tua Iuridici dilexit verticis ingens
Gloria Secretum, & colles pragressa prophanos
Doctorum celso voluit super Orbe locari.
Id Tua dum poscit mens laudatissima. namq;
Quantus in aurato digitorum fulgurat Orbe
Seu sit onyx, seu sit Iaspis, seu forte beryllus,
Scintillansue Adamas, millenis gratior ardet
Lampadibus, rutili iungit sua quando metalli
Lumina luminibus, nec in vna luce quiescit;
Sic Tibi non vno virtus sudata labore
Venit, & ad tantum qui Te duxere cacumen,
Non vno fulsere gradus conamine; primis
Sed quæ Te magnum Pallas formauerat annis,
Et solido nutrire cibo, castisq; solebat
Musarum, primisq; Sophûm potare fluentis;
Hæc eadem triplicem Te duxit adusq; coronam,
Et vitæ pars magna Tuæ, cordisq; sub imo
Curarum fuerat celsissima cura Tuarum.
Tantus in augustum pectus, summa omnia Regni
Munera complexum Lechici, Martisq;, togæq;,
Venisti virtute Tuâ; poterasq; vetustæ
Lucis in aspectu, Magno Censore probari:
Cui velut in vitrea SRENIAVÆ principis vnda
Omne patet, liquido quidquid velamine condi,
Atq; vdis voluit laribus naturâ quiesse:
Sic & in arcanas animorum irrumpere fibras,
Ireq; per Latebras, perq; intima cordis, adusq;
Secretum conclaue boni, concessa potestas.
Hâc acie, quæ summa videt, censetq; probatus,

Visus

Viſus es illuſtri conſpectu, ſorteq; tanta
Dignus, & augmento laudum digniſſimus omni.
Annuit his, celſoq; mihi Mauortius Heros
Ore loqui, Vultuq; Hunnis Suecíſq; timendo
Bellaces animos, & formidabile nomen
Lapponidum extremo Dux LVBOMIRIVS Orbi
Ad Tua ſub ſignis encomia ferre videtur:
Et quâ Vandalicas, nuper Geticaſq; phalanges
Terruerat; Thanaimq; ſuis, Baltimq; ſolebat
Siſteret Limitibus, nunc in laudeſq;, decuſq;,
Conſpiraſſe Tuum dextra victrice fatetur,
Teq; coronata gaudet iam ſede reponi,
Ipſe coronarum Lechiæ, famæq; perennis,
Atq, triumphorum plenus;, lauruſq; virentis
Cis niueam frontem meritos lætatnr honores
Surgere. Namq; illi virtus, doctrina, probæq;
Grande Tui pretium fecit lux aurea mentis;
Maſculus ille animus, curarum pondere maior,
Parq; oneri ſummo; quem tot Themidiſq; Lyræq;,
Circumſtant dotes, ſolidæ fundamina laudis,
Iuſtinianeæ decus immortale coronæ,
Quæ ſe verticibus, dum iam conſpectior infert
Deſignata Tuis, latèq; per ardua ſerpit
Roſtra Cathedrarum; plauſus, & barbita, mille
Cumq; ſuis totum Cytharis Helicona meretur.
Soſpitet ô vtinam cælorum ſumma poteſtas,
Quod voluit frondente caput circumdare vittâ;
Coniungatq; decus decori ſeriemq; bonorum
Inter honoratos apices, per maxima ferri
Incrementa ſinat: donec conſiſtat in vno
Conſummata gradu, virtus, & fama perennis:
Vatibus vt vatem, doctoraliq; decorum
Fronde, mitrâq; Virum, longæuo ſæpius olim
Annorum tractu, felicibus vndiq; votis
Et conſanguineis liceat vincire corymbis.

Soli Deo honor & gloria